



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

Minores Ordines non nisi per temporum interstitia conferendisunt, vt Ordinati exercea[n]t Ordinis suscepti officium; reuerea[n]tur Superiores in Ordine, frequenter sacram Communionem sumant. n. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

rumque probitate, doctrinâ, ingenio, & indole testimonium, eorumque commendatione se ea voluntate, ingenio & indole præditum doceat, ut non suæ commoditatis gratia, sed Dei tantum causa ad capescendos ordines aspirare credatur, vitaque & exemplo suo alios ad pietatem & cultum Dei esse pertracturum speretur.

*a citato c. cum nullus. b Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 5. 11. 13. & 17. Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. in fin pag. 44. Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5. parte 1. c. 19. & 27.*

*Minoribus ordinandi seruent interstitia.*

IX. Nullus se præsentet ad plures ordines minores simul suscipiendos, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, cum extra hunc casum a Concilio Tridentinum voluerit temporum interstitia in minoribus non minus, quam maioribus Ordinibus seruari, nec quemquam ad sacrum Subdiaconatus ordinem ante annum elapsum ab Accolytatus susceptione promoueri, ut eò accuratius, quam

quantum sit huius disciplinæ pondus, possit edoceri, & in vnoquoque Ordine se exerceat, idque in ea, cui adscriptus erit, Ecclesiâ, nisi fortè causa studiorum absit, atque ita de gradu in gradum ascendat, vt in ipso, cum ætate vitæ meritum & doctrina maior accrescat, quod & bonorum morum exemplum & assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga Presbyteros & superiores Ordines reuerentia, & crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maxime comprobabunt.

a Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 11. & 17.  
Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. in fin.  
pag. 44.

*Nullius ordinis ministerium prestatetur ab  
ab eo, qui in illo ordine non est.*

✠ Dent operam ij, quibus Diuini officij cura incumbit, vt nullius ordinis ministerium per alios exercentur, quam per constitutos in ipso ordine, qui Clericalem habitum & Tonsuram deferant. Porro vbi Clerici cælibes non inueniuntur, qui ministerijs quatuor minorum  
Ordin-